

INTRODUCTIO

Schema Decreti « *De Ecclesiis Orientalibus* », quod in eo est ut a Concilii Patribus perpendatur, vult etiam testari catholicorum rituum orientalium praesentiam in hoc maximo conventu Oecumenicae Synodi Vaticanae II.

Fulgentia ac vetusta Orientalium Ecclesiarum monumenta, praedives catholicae doctrinae patrimonium, necnon pietatis thesaurus, quae ab ipsis aevi christiani primordiis Oriens nobis tradidit, eiusque rituum ac sacrae disciplinae peculiaris nota: haec omnia necessario postulabant, veluti rem cum tam nobiles praeteriti temporis memoriis congruentem, ut proprium et singulare Schema pro catholicis Orientis communitatibus adpararetur.

Etenim dum substantialiter etiam de disciplina ecclesiastica cum eis convenimus, tantum de aliquibus separatim dicere debemus, quae Ecclesiis Orientalibus sunt propria; pariterque hac tantum ratione pastoralium rerum incrementis consuli potest; itemque quaedam ecclesiasticae disciplinae quaestiones, cum iisdem incrementis arctissime connexae, solvi queunt.

Praeterea, peculiare schema, quod unice ad Orientales spectet, reverentiam significat, singularem existimationem praebet, atque fraternae caritatis pignus exhibet illis, qui adhuc a nobis seiunguntur.

Hasce ob rationes, Venerabilibus Concilii Patribus considerandum trado atque commendo Decreti Schema « *De Ecclesiis Orientalibus* », a propria Commissione paratum, ad quam efficiendam Beatissimi Patriarchae, Excellentissimi Archiepiscopi et Episcopi diversorum rituum allecti sunt.

Mox audiemus verba Exc.mi ac Rev.mi Domini Gabrielis Bukatko, Archiepiscopi Beogradensis, eiusdem Commissionis Praesidis vice fungentis, qui integrum Schema exponet. Verum ad quaedam argumenta vos intentos esse exopto, Venerabiles Patres, argumenta, dico, quae suapte natura aliquas difficultates praeseferunt, et ad quas superandas, post laboriosum sane studium ac diuturnam considerationem, opportunum visum est ius conditum aliqua ex parte immutare.

Patet, consensionem super hisce argumentis non plene unanimem fuisse; certa enim rerum adiuncta, quae in variis locis in diversisque

Ecclesiis cum hisce difficultatibus connectuntur, non aequali ratione perpenduntur, et aliter ab aliis existimantur sive remedia, ipsis difficultatibus comparanda, sive utilitates, quae a novis susceptis agendi rationibus expectantur.

INTRODUCTIO

* * *

Primo — Quaesitum fuit: *Cuinam ritui accensendi erunt acatholici baptizati orientalis ritus, qui Catholicam Ecclesiam ingrediuntur?* Canone 11 § 1, qui in Motu Proprio a verbis incipiente « *Cleri sanctitati* » die 11 mensis iunii, anno 1957 continetur, eligendi libertas ipsis conceditur, hisce verbis: « Riturum quem maluerint amplecti possunt »; quibus tamen adiungitur: « Optandum tamen est ut ritum proprium retineant ».

Attamen Schema ad numerum quartum haec proponit: « ... omnes denique et singuli fideles, necnon baptizati acatholici ad Ecclesiam catholicam convenientes, proprium ubique terrarum retineant ritum, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam; eumque colant et pro viribus observent ».

Commissio scilicet eo intendit, ut Orientis communitatum ac rituum integritas adamussim defendatur atque servetur, attenta quidem seiunctorum fratrum sollicitudine proprium patrimonium totis viribus tuendi.

Longe maior pars membrorum Commissionis mentem suam professam est, quae concordat cum verbis schematis, et quae respondet conditionibus plurium Communitatum catholicarum in Orientis regionibus, quod attinet autem ad alias Communitates, quibus videtur concedenda esse maior libertas quoad transitum ad alium ritum, satis provisum est per recursum ad Sedem Apostolicam.

Secundo — Altera quaestio, maximi quidem ponderis, *matrimonii formam* respicit.

Motu Proprio, a verbis incipiente « *Crebrae allatae* », die 22 februarii 1949, determinatur et praescribitur *forma* etiam in nuptiis cum baptizatis acatholicis (can. 50 et 51). *Ortod., no protestantes*

Propter adiuncta in quibus Orientales versantur, matrimonii celebrationi graves interdum difficultates pariuntur; quam ob rem Commissionis Sodales consenserunt de aliquo inveniendi modo, qui matrimonii validitatem tueretur, cum omnibus divinae gratiae effectibus, qui in familiarum bonum profluent; et censuerunt extendere ad omnes Episcopos Orientales facultatem *a forma dispensandi*, in memoratis difficultatibus, tamen suetis cautionibus adhibitis.

* *In Patr. acceptam.*

Dein vero, postquam ad hanc conclusionem devenerunt, ratione habita emendationum, quae a non paucis Concilii Patribus expositae sunt, Commissio Orientalis, maiore suffragiorum parte habita, ad aliam sententiam venit, nempe ut exigeretur canonica forma *tantum* « *ad licetatem* », dum ad Sacramenti validitatem satis est ut sacer Administer adsit.

Res potius singularis videtur haec esse pro nobis in Occidente et causa admirationis; non ita in quibusdam locis Orientis, ubi fideles saepe longe distant ab ecclesia proprii ritus, pauci sunt sacerdotes et aliae arduae condiciones difficultates gignunt.

Tertio. — Agitur de « *Communicatione in sacris* » cum seiunctis fratribus.

In praxi quaestio sane difficilis est, et Commissio post diuturnas disputationes tandem censuit mitigandam esse vigentem disciplinam, ob bonum animarum.

Ante omnia asseverandum est, in hac materia Divinae Legi nullo modo derogari fas esse — quod certe est in mente omnium —, et ideo reicienda est communicatio illa quae « unitatem Ecclesiae offendit aut formalem errori adhaesionem vel periculum aberrationis in fide, scandali et indifferentismi includit ».

Attamen pastoralis ratio suadet vigentis disciplinae mitigationem, nempe: 1) Sacramentorum validitas apud seiunctos Orientales; 2) eorum bona fides atque sincera voluntas; 3) propriae salutis necessitas; 4) amor christianae concordiae et officium benevolentiae caritatisque erga illos fratres.

Quodsi occidentalibus communitatibus huiusmodi lenis agendi ratio quandam difficultatem pariat, haec memorentur oportet: inter Orientales Ecclesias peculiare propinquitatis et consuetudinis necessitudines mutuo intercedere; itemque hunc necessitatis statum (exempli gratia, — uti iam adnotatum — sacerdotum et templorum penuriam) fidelibus notum esse sive catholicis sive acatholicis, qui propterea mutuo caritatis oculo, fraternoque animi oblectamento ad hunc modum agendi, seu ad hanc communicationem respiciunt; demum, huiusmodi consuetudinem apud fideles plus minusve iam in usum venisse: « Ecclesia enim catholica, pro temporum, locorum et personarum adiunctis, salutis media et testimonium caritatis inter christianos omnibus praebet ».

Haec solidae rationes, diu perpensae, Commissioni suaserunt, ut postrema quattuor Schematis puncta exararentur.

Haec pro me sufficiant.

Antequam finem orationi huic meae imponam, animum valde gratum omnibus Commissionis sodalibus profiteri gaudeo et imprimis sedulo ac diligentissimo Secretario, Rev.mo Patri Athanasio Welykyj, O.S.B.M.; ii omnes sub sapienti moderatione Eminentissimi Cardinalis Fernandi Quiroga y Palacios, atque Excellentissimi Gabrielis Bukatko, diuturnam ac saepe difficultatum plenam operam in id praestiterunt, eo tantum moti consilio, ut Orientalium Ecclesiarum necessitatibus, et quidem in primis pastoralibus, provideretur, earumque expectationi apprime responderetur.

H. I. Card. CICOGNANI, Praeses

Querelles: esas que faltan. Se clarifican
muchas cuestiones, no tratar todo. Solo pagar
de lo 7. en España.
Hay simon: a ellos la disciplina y tutela del rito.

II

RELATIO

SUPER SCHEMA DECRETI «DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS»

EMINENTISSIMI PRAESIDES,

VENERABILES CONCILII PATRES,

Pulcherrimis nuper auditis verbis introductionis in Schema Decreti, quod nunc vestris suffragiis subiciendum est, honori mihi duco, nomine Commissionis de Ecclesiis Orientalibus, relationem super Schema Decreti «De Ecclesiis Orientalibus» proferre.

Schema nostrum, prout hic iacet, diversas vicissitudines expertum est. Non est cur historia praeparationis fuse hic exponatur; attamen, aliqua saltem breviter et summatim dicere opportunum videtur, ut eius forma clarius pateat.

SCHEMATIS ORIGO ET PRAEPARATIO

Commissio de Ecclesiis Orientalibus, a Ioanne PP. XXIII constituta, ad mandatum suum exsequendum, vota Praelatorum et Universitatum in primis consideravit; ac deinde, postquam florilegium quoddam quaestionum orientalium selegit atque apparavit, per Commissionem Centralem Praeparatoriam id ipsum Summo Pontifici probandum proposuit.

Uti notum est, Commissio de Ecclesiis Orientalibus schema suum sub titulo «*De Ecclesiae unitate: ut omnes unum sint*» in sessione prima Concilii ad discutiendum Patribus proposuit, quod quidem examinatum fuit in Aula Conciliari a die 27 novembris usque ad 1 decembris 1962. Expleta disceptatione, statutum fuit decreto conciliari: «*attentis emendationibus propositis, in unum documentum componetur cum decreto "De Oecumenismo" a Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam confecto et cum capite XI "De Oecumenismo" schematis Constitutionis dogmaticae "De Ecclesia"*». Eodem sensu Commissio de coordinandis laboribus Concilii, die 30 ianuarii 1963, mentem suam declaravit. Itaque Schema «*De Oecumenismo*» triplice ex fonte derivatum, a Patribus Concilii in secunda sessione, a die 18 novembris usque ad 2 decembris 1963, iterum examinatum fuit, et tandem paucis abhinc diebus in tertia sessione probatum. Hoc modo pars aliqua quaestionum etiam orientalium suam obtinuit provisionem conciliarem.

Cetera capita, quae a Commissione praeparatoria nostra praeparata erant, diversam sortem nacta sunt.

Commissio de Ecclesiis Orientalibus Praeparatoria plura schemata exaravit, quae, in fasciculis separatis edita, Commissioni Centrali proposita sunt. Accepto mandato, die 30 ianuarii 1963, a Commissione de coordinandis laboribus Concilii: « *Ut unum ex pluribus conficiatur Schema Decreti pro Ecclesiis Orientalibus, in quo ad principia generalia reducantur quae in casu expedit ut in Concilio decernantur* », Commissio Conciliaris opus suum explevit per « *Schema Decreti de Ecclesiis Orientalibus* », quod ex Audientia Summi Pontificis, die 22 aprilis 1963, ad Patres Concilii transmissum fuit in Aula Conciliari disceptandum.

Schema hoc duabus constabat partibus, quarum prior « *De disciplina Ecclesiarum Orientalium* », altera vero « *De unione christianorum orientalium* » inscripta erant. In priore parte agebatur « *De Ecclesiis particularibus* », « *De Sacra Hierarchia* », « *De disciplina Sacramentorum* », « *De cultu divino* », et quidem relate ad Ecclesias Orientales. Pars secunda complectebatur quaestiones selectas ex schemate praecedenti « *De unitate Ecclesiae* », quae tamen in novum schema « *De Oecumenismo* », propter suas notas peculiare, admissae non fuerunt.

Schema hoc modo apparatus, initio huius anni 1964 novis observationibus et emendationibus, quae interim missae erant, perfectum est. Die tamen 15 ianuarii 1964 Commissio de coordinandis laboribus Concilii sequens edidit decretum: « *Lo Schema "De Ecclesiis Orientalibus" sia trattato in Concilio in ossequio alle venerande tradizioni dell'Oriente Cristiano, con l'avvertenza da parte di cotesta Commissione di ridurre l'attuale testo ad alcuni punti fondamentali, che provvedano all'aggiornamento della disciplina, specie per quanto concerne la "comunicatio in sacris"* ». Proinde, sessionibus plenariis a die 10 martii usque ad 16 eiusdem mensis anni currentis habitis, Commissio textum breviatum examinavit eumque votis fere unanimis probavit, ratione habita etiam animadversionum Patrum Conciliarium. Schema ita apparatus, iussu D. N. Pauli PP. VI, in Audientia die 27 aprilis habita, ad Concilii Patres demum transmissum fuit, et hodie in Aula ad deliberandum proponitur.

ANIMADVERSIONES QUAE DAM GENERALES IN SCHEMA

Quatuor dicenda videntur: 1) de schematis necessitate, 2) de eius materia, 3) de eius forma, 4) de eius ulteriori emendatione.

Ad 1), *de decreti necessitate*. — Summi Pontifices Commissionem de Ecclesiis Orientalibus constituerunt, tum Praeparatoriam, tum Conci-

liarem, eique non solum scopum et limites laborum statuerunt, sed etiam duabus vicibus in Concilio schema apparatus tractari iusserunt, et quidem: a) *in obsequium* erga Orientem christianum eiusque Ecclesias; b) *ob veram necessitatem* providendi vitae ecclesiasticae et religiosae Orientalium catholicorum, saltem quoad nonnullas quaestiones, quae eos tangunt; c) *debita ratione habita fratrum seiunctorum* orientalium. Exinde schema nostri decreti nullum praeiudicium motui oecumenico inferre intendit, imo, eidem inservire cupit, per pastorem et oecumenicam renovationem in communitates orientales catholicas inducendam.

Ad 2), *de materia decreti*. — Schema nostrum breviter tractat: a) de rebus Orientalium *specificis*; b) de rebus vere *necessariis*, non autem de ceteris, quae desiderari poterunt; c) de solis rebus omnibus Ecclesiis Orientalibus *communibus*; d) de rebus *practicis* et faciliter in effectum deducendis; e) de materia praecipue *disciplinari*; f) de iis quae etiam *motum oecumenicum efficacius promovere possunt*. Iuvat denique adnotare, nostrum schema tantummodo de iis materiis agere, quae non ex quadam theoretica speculatione, sed *e votis Episcoporum hausta* sunt. Hoc vero genuinum valorem decreti demonstrat.

Ad 3), *de forma decreti*. — Iter sat longum schematis a nobis apparatus, de quo supra locuti sumus, formam nostri decreti explicat et iustificat. « *Non multa, sed multum* »: valet adagium etiam quod attinet formam nostri decreti, quod exigit breviter expositionis, servata necessaria claritate. Quod obtinere valde laborioso conamine studuimus. Hanc ob causam quidam formam esse nimis iuridicam nobis obiciunt. Sed liceat fateri, breviter et clariter nullo modo esse notas peculiare iurisdicium. Hanc ob breviter et praecisionem expressionis, *haud facile est ut aliquid mutari possit*, salva substantia materiae. Utique, ut nova addantur textui, via semper aperta manet. Liceat hic etiam notare, schema nostrum non solum quoad substantiam et materiam *esse vere collegiale*, sed etiam quoad formam. Ex peculiari sua constitutione, Commissio nostra semper et *exclusive in plenariis sessionibus* egit tum de materia tum de ipsa forma schematis, hanc et illam proponendo, emendando, perpoliendo et tandem fere unanimiter probando.

Ad 4), *de ulteriori emendatione schematis*. — Viginti quinque Patres vel coetus Patrum usque ad diem 1 octobris currentis anni animadversiones in nostrum schema fecerunt, tum collectivae tum individuales, quae fere omnes numeros nostri schematis tangunt. Quinque sessionibus plenariis habitis, Commissio nostra omnia nobis proposita *attento et laborioso examini subiecit*, et quaedam ratione claritatis sufficienti numero suffragiorum admisit, alia vero non censuit esse admittenda, quia, vel formae vel substantiae decreti non respondebant, vel ad finem decreti

haud conducebant, vel extra finem Concilii protendebantur. Quae tamen admissa fuerunt, *in foliis huic relationi adnexis inveniuntur*, uti modificationes textus impressi, quas Commissio nostra censuit inserendas.

ANIMADVERSIONES PARTICULARES IN SCHEMA

Post breve prooemium, in nn. 2, 3 et 4 sermo fit *de Ecclesiis particularibus*, quibus coalescit Ecclesia universalis seu catholica. Haec realitas nuper in Constitutione « *De Ecclesia* » in cap. III, n. 23, novo textu introducto, in Congregatione generali nostri Concilii admissa et probata fuit, affirmando varietatem in Ecclesia eius unitati non nocere, imo eam potius declarare. Hanc affirmationem schema nostrum ad *consectaria practica* deducit quoad vitam Ecclesiae. Ritus, traditiones, disciplinas peculiare legitima esse iisdemque plenum ius existendi affirmatur, interecclesiales seu interrituales relationes indicantur. Et haec valent non solum pro Ecclesiis Orientalibus, sed etiam pro Ecclesia Latina, quae una est ex Ecclesiis particularibus, prout quidam etiam proposuerunt ut expresse dicatur, et a Commissione acceptum fuit, et inter modos alligatos positum.

In nn. 5 et 6 sermo fit accuratior *de Ecclesiis Orientalibus* deque earum patrimonio spirituali servando. Ius, imo etiam obligatio inculcatur Ecclesiis Orientalibus se secundum proprias disciplinas regendi (n. 5). Imo, patrimonium hoc ut bonum totius Ecclesiae affirmatur, et proinde colendum, observandum, venerandum in apostolatu et relationibus interritualibus (n. 6). Nemo est qui non videat momentum horum numerorum et huiusmodi declarationum pro oecumenismo et pro relationibus inter Ecclesias particulares instaurandis et promovendis.

Numeris sequentibus, 7-11, breviter et per summa capita tantum, sed fortiter, sermo instituitur *de vetustissimo et honorabili instituto Ecclesiae, seu de Patriarchis*, quorum munus et potestas, iura et honores, salvo Primatu Romani Pontificis, describuntur et definiuntur, et quam primum instauranda proponuntur, prout habetur in quodam modo a Commissione admissio. Patriarchis in pluribus aequiparati sunt Archiepiscopi maiores, praesertim in nova codificatione orientali nuper promulgata (anno 1957). De hac materia inter rerum peritos sunt hodie diversae sententiae. Quidam domum communem pro conventu fratrum hodie ad invicem seiunctorum omnino et minimis iam praeparatam offerre desiderant, et proinde plus de hoc etiam instituto patriarchali statuere cupiunt. Alii tamen hanc domum tantum apertam pro dialogo declarant, apparandam et exornandam fratribus omnibus in eam conventuris relin-

quunt, ne ea quae nobis nunc placent vel bona videntur aliis insciis et longe degentibus, forsitan ipsis minus commoda in fine fraterni colloquii viderentur.

Hac eadem oecumenica ratione Commissio ducebatur, tractando *de disciplina sacramentorum apud Orientales* (nn. 12-18). De iis quae propria sunt Orientalium egit, quae sunt necessaria, quae sunt renovanda, instauranda; ratio huius selectionis est cura pastoralis, bonum animarum, quod ulterius differri non potest et non debet; quoad S. Chrisma conferendum (nn. 13-14), quoad vitam liturgicam fidelium promovendam (n. 15), quoad sacramentum Poenitentiae ministrandum (n. 16), quoad diaconorum officia exercenda in bonum animarum et Ecclesiae (n. 17), de quibus, quoad Ecclesiam Latinam, Constitutio « *De Ecclesia* » egit (n. 29).

Curam specialem adhibuit Commissio tum Praeparatoria tum Conciliaris, ut *de matrimoniis mixtis Orientalium* meliore quo posset modo provideretur. Plus quam octo sessiones plenariae hunc in finem insumptae sunt, ad examinandas varias solutiones propositas. Nulla tamen sufficientem obtinuit favorem Commissionis, excepta illa quae in nostro schemate prostat sub n. 18. Est tamen quasi quaedam solutio « in extremis » obtenta, quae fere unanimiter suffragiorum obtinere semper valuit variis temporibus. Tantummodo in sessione plenaria Commissionis, die 30 septembris 1964 habita, proponentibus variis Patribus Concilii ut quaedam *solutio radicalior* inveniatur, Commissio censuit ut forma canonica pro huiusmodi matrimoniis *tantum ad liceitatem, non vero ad validitatem*, obligaret. Revera 14 Membra ex 21 praesentibus votum affirmativum dederunt. Modus hic in elencho apponitur.

Numeris 19-23 nonnulla principia *de cultu divino* exponuntur: de temporibus sacris, de officio divino, de usu linguarum vernacularum in Liturgiis, de celebratione Paschatis. Omnia ex ipso textu clare patent quoad substantiam et quoad mentem, et proinde nulla indigent ulteriore explicatione.

Ex numeris tandem 24-25 transitus fit ad quaestionem maximi momenti tum oecumenici tum pastoralis, nempe ad sic dictam « *communicationem in sacris* » cum Orientalibus seiunctis (nn. 26-29). Proponitur quaedam mitigatio disciplinae hucusque vigentis, etsi praxis pastoralis iam propositionem nostram aliquomodo praevenit. De hac quaestione, etsi breviter tantummodo, tamen quaedam dicenda videntur.

DE COMMUNICATIONE IN SACRIS
CUM ORIENTALIBUS NON CATHOLICIS

Cum fratres orientales a nobis seiuncti disciplinam Ecclesiae Catholicae quoad «communicationem in sacris», prouti viget, generatim aegre ferant eamque considerare soleant nimis rigidam et severam, imo tamquam obicem et impedimentum mutuae comprehensioni et unioni, Commissio de Ecclesiis Orientalibus, cupiens sive *obviam ire necessitatibus spiritualibus suorum fidelium, sive fratribus seiunctis faciliorem et largiorem aditum ad media salutis reddere*, hanc novam mitiorem formam disciplinae «de communicatione in sacris» proponit, utpote non solum necessitatibus nostri temporis, sed etiam votis plurium Patrum Conciliarium magis consonam, atque sequentes considerationes addit:

1) Hic agitur de «communicatione in sacris» *tantum cum fratribus seiunctis orientalibus*, qui scilicet valida servaverunt sacramenta Novae Legis a Christo Domino instituta.

2) Salva est et omnino *in tuto posita vigens doctrina catholica* de «communicatione in sacris», quae docet lege divina semper et ubique huiusmodi communicationem prohiberi quotiescumque exstat revera periculum: laesionis vel offensionis contra Ecclesiae unitatem, adhaesionis formalis errori, aberrationis in fide catholica, scandali et indifferentismi.

His notatis, in nostro schemate haec proponuntur:

1) Orientales, *qui bona fide seiuncti* sunt ab Ecclesia Catholica, si sponte petant et constet de eorum recta dispositione, admitti possunt ad recipienda sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Unctionis Infirmorum *apud catholicos*.

Ratio est: quia agitur de mediis salutis quae Christus omnibus fidelibus comparavit et quorum administrationem Ecclesiae suae commisit.

2) Haec sacramenta *etiam catholicis* licet petere ab iis ministris acatholicis, qui ad confessionem pertineant ubi valida habeantur sacramenta, quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat et accessus ad sacerdotem catholicum physice vel moraliter impossibilis evadat.

Ratio: si desit sacerdos catholicus, fideles catholici non debent privari mediis sanctificationis ad salutem necessariis; atqui licet his in necessitate aut ob veram spiritualem utilitatem uti ubicumque valida inveniuntur.

3) Positis iisdem principiis, communicatio seu participatio quaedam *in sacris functionibus, rebus et locis*, inter catholicos et fratres seiunctos orientales iusta de causa permittitur.

Ratio: Hoc suadent rationes humanitatis, conversationis civilis et motus ad unitatem inter christianos fovendam.

4) *Ordinariis locorum* committitur vigilantia et moderamen disciplinae « de communicatione in sacris » mitioris; iidem proinde, collatis inter se consiliis, *normas opportunas* ferant pro necessitatibus locorum et personarum.

CONCLUSIO

Hac in Aula multa eaque pulcherrima de Orientalibus dicta sunt. Non defuerunt laudes, admiratio illorum Liturgiae, cantus liturgici, disciplinae, traditionum, patrimonii spiritualis et theologici pie servati, atque etiam martyrii, qua laude etiam hoc nostro saeculo nonnullae Ecclesiae Orientales, heroice in fide perseverantes, decorantur. Orientales Sacrosancti huius Concilii coetus participantes, praesertim membra Commissionis de Ecclesiis Orientalibus, quorum maior longe pars ad varios ritus orientales pertinent, iure meritoque fore expectant ut hoc Schema a se exaratum, una cum emendationibus a Commissione iam acceptis, Vestrum favorem inveniat, Venerabiles Patres Conciliares, quorum suffragiis proponitur.

✠ GABRIEL BUKATKO

Archiepiscopus Beogradensis

Administrator Apostolicus Crisiensis

PATRIMONIO

III

EMENDATIONES

A COMMISSIONE EXAMINATAE ET PROBATAE

Nr. 1: lin. 3: Dicatur:

« *magni facit* » (loco « *magni facere consuevit* »).

Nr. 1: lin. 4: Dicatur:

« *ea quae ab Apostolis et ea quae a Patribus est traditio, ...* »
(loco: « *ea quae a Patribus est et ab Apostolis traditio* »).

Nr. 2: lin. 15: Dicatur:

« *constituunt. Inter eas mirabilis communio viget, ita ut va-*
rietas... » (loco: « *Earum autem varietas...* »).

Nr. 3: lin. 21: Dicatur:

« *Huiusmodi particulares Ecclesiae, tum Orientis tum Occi-*
dentis, licet ritibus... ».

Nr. 3: lin. 27: Dicatur:

« *etiam quod attinet ad Evangelium praedicandum in univer-*
sum mundum (cf. Mc. 16, 15), sub moderamine... » (loco:
« *attinet ad propagandam fidem catholicam ubique terrarum* »).

Nr. 5: lin. 16: Dicatur:

« *... declarat, Ecclesias Orientis sicut et Occidentis iure pol-*
lere... ».

Nr. 6: lin. 30-1: Addatur:

« *... in cognitione et cultu rituum, disciplinae... instituantur* »
(vel « *magis magisque in dies crescant* ») (loco: « *versati*
sint »).

Nr. 6: lin. 23: Dicatur:

« proprii et *organici* progressus » (loco: « convenientis progressus »).

Nr. 7: lin. 1: Dicatur:

« ... *in Ecclesia* viget... » (loco: « in Ecclesiis Orientalibus »).

Nr. 7: lin. 6: Addatur:

« ... *exercendam. Ubique Hierarcha alicuius ritus constituitur, manet aggregatus hierarchiae patriarchatus eiusdem ritus, etiam extra fines territorii patriarchalis* ».

Nr. 9: lin. 13-4: Emendetur sic:

« ... ut eorum iura atque privilegia *quamprimum restituantur, iuxta antiquas traditiones uniuscuiusque Ecclesiae et synodorum oecumenicarum decreta. Haec autem iura et privilegia sunt illa quae in unione Orientis et Occidentis viguerunt, etsi ad nostra tempora aliquando aptanda sint, minime vero minuenda.*

Patriarchae, cum suis synodis, superiorem constituunt instantiam pro quibusvis negotiis patriarchatus, non secluso iure constituendi novas eparchias atque nominandi episcopos sui ritus ubicumque hoc opportunum videbitur, salvo inalienabili Romani Pontificis iure in singulis casibus interveniendi ».

Nr. 14: lin. 4: Dicatur:

« *ministrationem* » loco: « *administrationem* ».

Nr. 14: lin. 5: Addatur:

« *ministrare, sine praeiudicio ritui, servatis...* ».

Nr. 18: lin. 30-4: Substituantur haec:

« ... *domesticae paci, Sancta Synodus statuit formam canonicam celebrationis pro his matrimoniis obligare tantum ad licitatem; ad validitatem sufficere praesentiam ministri sacri, servatis aliis de ritu servandis* ».

Nr. 19: lin. 1-2: Dicatur:

« Dies festos pro omnibus Ecclesiis Orientalibus communes in posterum constituere, transferre aut... » (omisso: « Praeter »).

Nr. 24-29: Dicatur:


semper « *seiuuncti* » loco « *separati* », ubi in his numeris et alibi veniet haec dictio (ita in tit.; pag. 10, lin. 1, 7, 21, 30, 32).

Nr. 24: lin. 32: Dicatur:

« *collaboratione* » loco: « *mutuo auxilio* ».

Nr. 26: lin. 8-9: Dicatur potius:

« *periculum aberrationis* » loco: « *perversionis* ».



Nr. 27: lin. 27: Dicatur:

« *ministratio* » loco: « *administratio* ».

Nr. 14: lin. 5: Dicatur:

« *ministrare*, sine praedictio ritui servatis... »

Nr. 18: lin. 30-4: Substituantur haec:

« ... domesticae pacis, sancta Synodus statuit formam canonice celebrationis pro his matrimoniis obligare tantum ad licetatem, ad validitatem sufficere praesentiam ministri sacri servatis aliis de ritu servandis ».